



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola III. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

EPISTOLA III.

EIDEM.

Post superius scripta, hæc peculiariter
 commendanda visa sunt. Ego tibi,
 Magister Gaspar, Rector Collegij Sanctæ
 Fidei Goani, mando in virtute Sanctæ Obe-
 dientiæ; ne ex hac Insulâ Goanâ toto
 triennio exeas: nisi intra hoc spatium trium
 annorum adveniat huc aliquis è nostris ritè
 missus à Generali Præposito universæ Socie-
 tatis IESV, cum literis id testantibus, ut
 ejusdem hujus Collegij regimen capeßat.
 Talis enim simul adfuerit, & tu ei guber-
 nationem hujus Collegij resignaveris, solu-
 tus eris hoc meo præcepto, & novo Re-
 ctore, cui tu, ut alij, suberis, mitten-
 te, poteris liberè proficisci quò is cum-
 que jusserit. Iterùm commendo & man-
 do in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus
 qui per hos Indiarum Tractus me superio-
 rem agnoscunt; ut ijdem obtemperent ti-
 bi, Magister Gaspar, & tuæ gubernationi
 subsint. Ac si quis obedire tibi renuerit,
 primùm ostendes illi has meas literas qui-
 bus

bus

bus jubeo: ut quotquot mihi subjecti sunt, tibi pariter, ut mihi si præsens adessem, se morigeros & dicto audientes exhibeant, tum si in contumaciâ perstiterit, eum è Societate dimissum res sibi habere jubebis suas. Item commendo & mando in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus & singulis Societatis IESV meæ potestati commissis, ut si quis hîc comparuerit à Nostro Patre Ignatio aut alio Præposito Generali Societatis IESV Rector hujus Collegij delectus, & ritè institutus, quod ex literis ab eo subscriptis constet, hunc statim universi Superiorem legitimum agnoscant, eique se subijciant & obtemperent pariter ac præsenti mihi. Sin qui id facere detrectaverint, rogo & commendo eidem Rectori, nisi aliud ei Præpositus Generalis mandaverit, ut istos inobedientes, è Societate dimittat. ut certò constet de meâ in his discernendis plenâ & fixa voluntate, huic chartæ manu propriâ subscripsi. Goæ VII. Idus Aprilis CIOCLII.

Franciscus.

EPI-